Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

38 petistis uobis regem. Noluit autem
populus audire uocem samuelis. sed
dixerunt. Nequaquam. Rex enim erit
super nos. & erimus nos quoque sicut omnes
gentes. & iudicabit nos rex noster. & egre-
dietur ante nos. & pugnabit bella
nostra pro nobis. Et audiuit samuel om-
nia uerba populi. & locutus est ea in au-
ribus domini. Dixit autem dominus ad samuelem.
Audi uocem eorum. & constitue super eos regem.
Et ait samuel ad uiros israel. Vadat
unusquisque in ciuitatem suam.
Lex Omnia uerba dei populo replicat.
super filio dei. quem omnis fidelium
populus expostulat. Hoc inquit erit ius
regis. qui imperaturus est uobis. Filios uestros
tollet. & in curribus suis ponet. quia sanctos
apostolos predicatores suos per orbem terrarum
constituet. Equites eos esse faciet. quia
per eos fideles suos ad euangelii militiam
erudiet. Precursores quadrigarum su-
arum eos faciet. quia fundatores ecclesiarum
& rectores fidelium animarum eos consti-
tuet. Tribunos & centuriones esse faci-
et. quia per eos maiores & minores ecclesie
pastores & doctores instituet. Ara-
tores agrorum suorum eos faciet. quia per illu-
strationem sancti spiritus. expositores ueteris ac
noui testamenti eos efficiet. Messores
segetum eos faciet. quia per eorum predicatio-
nem. multam & diuersam messem.
prelatorum. continentium. coniugatorum fidelium.
in sua ecclesia colliget. Fabros armorum
eos faciet. quia per eorum scientiam arma mi-
litie xpiane. ad destructionem inimi-
corum & omnium hereticorum perficiet. Fabros
curruum suorum eos faciet. dum per eorum sapi-
entiam uniuersos predicatores suos per or-
bem terrarum usque in finem seculi insti-
tuet. Filias quoque uestras unguentarias
sibi faciet. cum per eorum predicationem funda-
tas diuersas ecclesias. ad conficienda diuersa sancti
spiritus unguenta erudiet. Focarias eas faciet.
quia ad succendendum ignem in altari meo. quod
sacerdos lignis subiectis iugiter enutriat.
eas erudiet. Panificas eas faciet. dum pane
uel sacramenti. uel uerbi. abundanter eos re-
ficiet. Agros uestros & uineas & olueta op-
tima tollet. que seruis suis tradet. quia uobis
non credentibus scripta legis. psalmorum. & prophe-
tarum auferet. & suis fidelibus de gentilita-
te uenientibus diuidet. Segetes uestras. legales
cerimonias. & uinearum reditus. circumci-
sionis & sabbati cultus. per spiritum sanctum addeci-
mando sanctificabit. per que eunuchos & fa-
mulos suos uere continentes. & esse in uerita-
te seruientes. hereditando ditabit. Seruos
etiam uestros auferet. eos qui de gentibus uobis
usque modo seruierunt. uersa uice dominos uestros
constituet. Ancillas uobis auferet. quia
legis litteras uestro ministerio mancipatas.
uobis subtrahet. Iuuenes optimos aufe-
ret. quia ueteris ac noui testamenti uos expertes
faciet. Asinos auferet. quia diuinorum eloquiorum
predicatores uobis subtrahet. Seruos. ancil-
las. iuuenes. & asinos quos uobis auferet. in
opere suo ponet. dum his omnibus ecclesiam suam
de gentibus instituet. Greges uestros addeci-
mabit. quia reliquias de gente uestra sal-
uabit. Vos eius serui eritis. cum ei tandem in
fine mundi. per fidem & dilectionem adhe-
seritis. In die illa propitiationis qua ipse
rex uester mundo subueniet per mysterium
sue passionis. clamabitis a facie regis
uestri. quem uobis in patribus uestris elegistis. dum
eum crucifigi. & [illegible] latronem
uobis dimitti [illegible] postulabitis.
Non exaudiet uos dominus in die illa sue re-
surrectionis & ascensionis. quia secundum
prophetiam danielis. populus eius non eritis. uos